

testantium nomen usurpabant, eo convenirent, obtinere non potuerat; ita ut, colloquiis nonnullis in ea civitate habitis, irrito conatu, magna cum acerbitate animorum, discederetur, majoribusque in dies difficultatibus religionis negotium implicaretur; ac qui primo, Tridenti Concilium ut cogeretur, poposcerant, examinatisque, & discussis controversiis, ab illius decretis minime recessuros affirmarant, nunc Germanicæ nationis Synodum flagitabant, qua peracta, liberum Tridenti Concilium haberetur. Ea res cum haud parum Cæsaris animum commovisset, nullumque diffidiis exitum speraret, nisi armis ageretur, Pontificem libentius audire coepit, qui, ut se metu Concilii eximeret, ac filium in Parmæ, & Placentiæ civitatum possessione confirmaret, haud exigua cum pecuniæ, tum militum subsidia, quidquid viribus, quidquid auctoritate posset, ad gravissimas controversias bello definiendas pollebatur. Cæsaris animum jam plerisque Principibus, & Germaniæ civitatibus infensum incendebat; generoso impetu ad Imperii dignitatem, quam infidi homines proterere conarentur, defendendam hortabatur: nihil prætermittebat, quo stimulos per se incitato & currenti adderet. Verumtamen ex iis, qui circa Pontificem assidue versabantur, plerique maxime intimi atque necessarii, nimium ardentes Pontificis spiritus sedare, atque a bello avocare nitebantur, cum illius eventus in utramque partem versando, atque expendendo periculi plenos prospicerent. Si Cæsari victoria afflaret, timendum esse, ne tanta inde illi potentia, & vires accederent, ut Ecclesiæ, atque adeo Italiæ universæ formidolosus evaderet; cum ea sint hominum, ac præsertim Principum ingenia, ut nullis prosperis rerum, & quantumvis felicibus eventis ad majora adspirantis animi libido flagrans extingui nequeat. At si contra accideret, verendum, ne, victo Cæsare, ac profligato, ferocissimæ Teutonicorum gentis incredibili odio in Summos Pontifices debacchantis exercitus, jugis superatis Alpium, in Italiam descenderent, illamque terrificis excursionibus percurrando, Romam religionis caput invaderent.

Verum ita Pauli Pontificis menti Germanica expeditio inferat, ut quidquid moræ injiceretur, id omne victoriæ cursum remorari arbitraretur. Cæsar itaque cum Pontifice foedus adver-

1546

*Protestantes
nationis
Germanicæ
Synodum &
postea Tri-
denti Con-
cilium po-
stulant.*

*Paulus Pon-
tifex Cæsa-
rem ad bel-
lum contra
Protestantes
accendit,
subsidia pol-
licetur.*

*Pauli Pon-
tificis neces-
sarii illum
a bello avo-
care nitun-
tur.*